

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

**Melanchthon, Philipp
Aristoteles**

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

In polit. Arist. secvndns liber politicorum

urn:nbn:de:bsz:31-106587

IN POLIT. ARIST.
SECVNDVS
LIBER POLITICO=
RVM.



Ecundus liber totus est historicus. Recitat enim varias Politias, ac primum Platonis politiam reprehendit, qui uoluit omnia cōmunia esse omnibus, etiam uxores ac liberos. Hæc est enim Socratis in libris de Republica apud Platonem sententia. Aristoteles aliquot rationes collegit, quibus ostendit hanc sententiam Platonis cum natura hominis pugnare, & nullo modo probari posse. Ego uerò etiam initio duxi admonendum esse lectorem, ut meminerit legitimam diuisionem rerum ac formam connubiorum, ordinationem Dei esse, quæ nõ potest humano consilio mutari. Sicut uices temporũ æstas, hyems, nox, dies, cursus solis, & aliorum astrorum motus non possunt humana ui mutari. Imperiti homines, qui putant sine consilio Dei Politias existere, hi presentibus offensi uitijs rerum publicarum, quærunt alias formas constituendarum ciuitatum, dum cogitant eas in alium statũ humano consilio transferri posse. Hic error initio eximendus est animis

Diuisio rerum ordi-
natio Dei.

Sciendum, quod legitima politia & rerum diuisio, sit opus Dei. Si quis hoc sibi per sua serit facile intelliget presentem statum retinendum esse ac mutari non posse.

Diuisio rerum consentaneam esse naturæ. Recte igitur sentit Aristoteles diuisiorem rerum consentaneam esse naturæ. Hoc est quod Iuris consulti eruditissime dicunt, esse eam Iuris gentium seu Iuris naturalis. Platonis uero politia prorsus à natura abhorret. Primum de coniugio, facilis est probatio. Sicut ratio naturaliter iudicat eadem turpem esse, ita iudicat promiscuum coitum turpè esse. Item, Ratio iudicat oportere certa cõiugia esse, alio qui soboles esset incerta: quare educatio & cura alendi frigeret. Item si soboles esset incerta, accideret ut nulla sanguinis discrimina seruarentur in concubitu, quod est contra naturam. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ &c.

De rerum communicatione etiam facilis est probatio. Causæ non sunt pares in bonis comparandis & conseruandis communiter, ergo bona non possunt esse communia. Antecedens perspicuum est, quia ignaui cum uiderent se ex communi sumere, non essent laboraturi. Item homines cupidi, uel gloriæ uel potentie, tamen essent occupaturi pleraq; & imbecilliores depulsuri à multarum rerum usu ac fructu, quæ ex re maximi motus existerent. Itaq; quia

IN POLIT. ARIST.

quia omnis generis cupiditates nobiscum nascuntur
 necessaria est rerum diuisio. Has rationes & prae-
 terea signa multa colligit Aristoteles contra Plato-
 nis sententiam.

Sed nescio quo errore acciderit, ut passim multi
 applauserint sententiae Platonis, quantumuis inhu-
 mana, & opinor quosdam Theologos nouitate ca-
 ptos, ut fit, hanc sententiam nimium amasse. Errant
 autem qui docent rerum communicationem iuris di-
 uini esse, ac multo magis errant qui docent in Euan-
 gelio praecipui, ut res in commune conferantur, & ta-
 men hic error pertinaciter haeret in animis stulto-
 rum. Adeo ut etiam in Decretis dist. octa. quidam est,
 scripserit ἐπιτομή, his uerbis, iure diuino om-
 nia sunt communia omnibus. Porro dum haec per-
 suasio tenet animos, non potest fieri quin exorian-
 tur homines phanatici, qui per superstitionē conten-
 dant res in commune conferendas esse, hinc necesse
 est exoriri maximos motus in rebus publicis. Atqui
 ius diuinum & Euangelium iubent nos seruare po-
 liticas ordinationes & in his legitimam rerum di-
 uisionem, sicut docet praecipuum: Non furaberis.
 Item Roma. 13. Hac de re aliās copiose dictum est,
 tantum hic leuiter attingere uolui lectoris admo-
 nendi causa. Rectius igitur statuemus rerum diuisi-
 onem esse iuris diuini aut Euangelici, & haec uoces

Rerum
 communis
 catio iuris
 diuini non

quod communio rerum sit iuris diuini aut Euangeli-
ci, quia sunt magnorum motuum semina neutiquam
probanda sunt. Et quidē textus in Decretis distin-
octaua, quanquam habeat Epigraphen negligenter
scriptam, tamen clare ostendit Deum esse autorem
legitimae rerum diuisionis. Sic enim inquit, Iura hu-
mana per Imperatores & rectores seculi Deus dis-
tribuit humano generi.

Quod uerò aiunt, Iure naturali omnia commu-
nia esse. Sic excusant, quod ad incorruptam homi-
nis naturam referatur, qualis fuit ante peccatū ori-
ginis. Nos quum loquimur de praesenti statu post
peccatum originis, recte dicimus diuisionem rerum
Iuris naturalis esse. Nec existimo apud ueteres Iu-
risconsultos reperiri hanc uocem, quod Iure natura-
li omnia sint communia. Nam isti de praesenti natu-
rae statu loquuntur, cui uident necessariam esse rerū
diuisionem. Itaq; sic dicunt, Quod ante nullius est,
id naturali ratione occupanti conceditur. Hæc sen-
tentia docet naturali ratione dominium seu propri-
etatem occupatione contingere, idq; ratione na-
turali. Est autem ratio naturalis Ius naturæ. Hæc di-
xi admonendi lectoris causa, ne quem decipiant uo-
ces illæ quæ laudant Platoniam rerum communica-
tionem, quæ interdum nouitate blandiuntur imperi-
tis, & occasionem præbent magnis ac perniciosis
errorib.

Diuisione
rū necessa-
ria.

erroribus. Nulla uirtus magis ornat Christi cogniti-
onem quàm religiose colere politicas ordinationes,
& magistratus. Quare procul ab Euangelio de-
bent abesse uoces illæ, quæ officiū publicæ tranquil-
litati. Si quis uociferabitur iuris diuini esse rerum
communicationem, oppone mandatum, Non fur abe-
ris. Nam in hoc mandato præcipitur, ut suū quisq;
teneat. Si quis contendet Euangelici iuris esse rerū
communicationem, oppone sententiam Pauli, qui le-
gitimas ordinationes Rerum publicarū uocat ordi-
nationes Dei, Rom. 13. Si quis disputabit esse iuris
naturalis rerum communicationem, oppone ratio-
nis iudicium, quod impossibile sit res esse communes
in his hominū utijs. Nam ignaui alieno labore uel-
lent ali, contra ius naturæ, quod sancitū est his uer-
bis, In sudore uultus tui comedes panem tuum.

Aristoteles pergit recitare plurimarum ciuita-
tū leges, quæ passim legentibus historiis obuiæ sunt.
In fine disputat de legum mutatione, quod periculo-
sa sit. Hac de re quanquā & aliās dicit, tamen ope-
ræ precium est, meminisse quasdam huius loci senten-
tias. Verba sunt hæc, φανερόν ὡς ἐατέρον ἐνίας
ἀμειψίας, ὁ τῶν νομοθετῶν καὶ τῶν ἀρχόν-
των οὐ γὰρ τοσούτων ἀφελήσεται κινήσας,
ὅσοι βλαβήσεται τοῖς ἀρχοῦσι ἀπειδέων ἐθί-
θεις. Sentit enim receptas leges non esse mutan-

COMMENTARIA

das etiam si quid habeant incommodi. Atq; hoc conuenit inter omnes sapientes uiros et peritos Reipub. regendæ, plerunq; permiciosam esse legum mutationem. Ideo inquit Vlpianus. in rebus nouis constituendis euidentis esse utilitas debet &c. Et Demosthenes scribit legem fuisse Locris, ut si quis nouam legem laturus esset, exponeret eam prius populo in seroto collo in laqueum, qui si lex displicuisset statim constrictus autorem nouæ legis strangularet. Et Herodotus, dicit insanire eos qui patrias leges & patrios mores contemnunt: quia natura ita amemus instituta patria, ut si omnibus hominibus facultas sit eligendi, optimas leges tamen unumqueng; electurum esse patrias. Taxantur & in sacris literis isti, qui leges mutant, Ecclesi. 10. Qui dissipat sepem morbit enim coluber. Loquitur enim ibi multis uerbis de de Magistratu formam Reipublicæ mutante, quam sepe confert, & ut serpentes penetrant in hortos diruta sepe. Sic ait futurũ, ut talis Magistratus improborum licentiam armet aduersus Rempub. Sed meo iudicio nihil efficacius dehortatur à consilijs mutandi receptas leges, quam si sciamus legitimum statum Reipublicæ Dei ordinationem esse, & honore affici debere propter Deum, ut res sacras, etiamsi habeat aliquid incommodi. Verum hic queri potest quatenus sint dissimulanda legum uitia, Aristoteles hoc in

IN POLIT. ARIST.

hoc in Ethicis docet. Leges debent consentire cum iudicio naturali rationis humanae. Proinde si quae omnino repugnant iudicio naturae, & corrumpunt naturam, haec sunt mutandae. Sed si paululum discedant à ratione, haec tolerari debebunt. Vt si quis sinistra melius utitur quam dextra, non est cum incommodo traducendus in diuersam consuetudinem. Ita nec leges mutari debent, si paululum discedant à natura, quia non abit res sine maximis motibus.

Leges quae mutandae.

Ut Medicus in aegro corpore non oēs malos humores ciet, ita in Re-publica ad quaedam uicia cōniendum est. Fui in hoc loco longior, quia magna & necessaria sapientia est scire, quod quaedam uicia legū dīsimulanda, ac toleranda sint.

FINIS.

IA

Atq; hoc con-
ritos Reipub-
rum maiatio-
neus confuta
Et Demofthe-
quis nouam le-
as populo infer-
ssi statim con-
aret. El Hero-
ges & patris
nemus infuue-
iculltas si ebe-
iq; electurum
eris isti, qui le-
ut sepe mor-
deis uerbis de-
uente, quam
in hortos da-
ratu impro-
dub. Sed meo
n filijs mutae
gnum flae-
se, & honore
acras, etiam
ic quari potest
tia, Aristoteles
hoc in